

1528 nere; sed urbe exercitu, ac comineatu ab Antonio Leva firmata, oppugnationem in aliud tempus differre Duces decreverunt, Ticinumque aggredi statuunt, infirmo militum praesidio, quod pedites mille non excefferat, urbe se cito potiri posse rati. Igitur quamcelerrime, ne consilii hostes certiores facti aliquid in nostros molirentur, Ticino universis copiis circumsepto, magno impetu moenia quater tormentis coepere, quae nuper e Venetorum oppidis huc, Urbinatis cura, adverso Ticini flumine invecata fuerant; brevique strata magna murorum parte, ingressum experiri in urbem statuunt. Ut priores Venetorum copiae aditum aperirent, sorte obvenit; ac dum omnia ad dimicationem conferendam comparantur, Helvetii reluctari visi. Id cum ab Urbinate animadversum esset, dextra vulnere uni ex illorum ducibus inflicto, qui, se excepto, nemini parituros suos milites dixerat, atque eodem momento tormentis in illos verti iussis, insolentiam, ac temeritatem fregit. Itaque magno ardore animi, qua disturbata, soloque aequata moenia erant, pugna coepta. Urbini Dux inter primas acies, turba suorum septus, ubi hostes conferti majore nixu ab ingressu arcere nostros nitebantur, fortiter dimicans, summi ducis, strenuique militis laudem eo die tulit; atque inter militum ductores non vulgaris Calaciae Comitum, & Antonii Tiphernatis virtus emicuit. Ticinum captum, direptum, milites fere omnes praesidiarii caesi; arce postmodum a Galeatio Birago, qui cum iis, qui caedi superfuerant, in illam se receperat, deditio recepta, vitae incolumitate pacta, Germanisque Mediolanum, Italiam ad domos cuique suas comineatu permissa. Victoriis Patres Senatus literis Francisco Borbonio Gallorum Duci gratulati sunt, atque illi pro egregie navata opera gratiae actae. Ex illius sane urbis expugnatione foederatorum res spiritus denuo fumere, praesentique beneficio & apud cunctos opinione incrementa acceptura videbantur, cum Novaria, vicinaque oppida in nostrorum potestatem concessissent, eo majore hostium detrimento, quod ex iis locis quamplurima ad illos inopia sublevandos Mediolanum antea importarentur.

Verum iis, quae felicibus adeo auspiciis coepta in Insubribus gerebantur, Genuensium res obstabant. Cum enim Franciscus Rex ingentem ex urbis illius defectione animo molestiam percepisset;

*Ticinum
foederati
aggrediuntur.*

*Urbinas,
Helvetiorum
duce confecto,
alios
obtemperantes
reddidit.
Urbinae
virtus.*

*Ticinum
captum &
direptum.*

*Novaria &
alia oppida
a Borbonio
capta.*